



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Vita Innocentii Papae VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

62 SIXTVS C. TOLETANVM. FRIDERICVS III. IMP.
P. IV. HENRICVS IV. R. CASTELLÆ.

mus , & facient , teneamur & teneantur. Publicatæ fuerunt hæ constitutiones in prædicto oppido de Aranda , die , mense & anno quibus supra , præsentibus ibidem reuerendis dominis Ioanne Arias episcopo Segobiensi , & Didaco de Mendoza episcopo Palentinensi , nec non Didaco Gundisalui canonico Giennensi , procuratore episcopi Giennensis , & Nunio Aluare cantore Conchensi , procuratore episcopi Conchenensis , & Ioanne Gundisalui de Auila in decretis baccalaureo , procuratore episcopi Oxomensis , & Nunio Gundisalui capellano maiori & procuratore ecclesiæ Seguntinensis ; & aliis pluribus episcopis & procuratoribus , qui huic publicationi in ecclesia sancti Ioannis eiusdem oppidi voluerunt interesse.

A. archiepiscopus Toletanus.

De mandato reuerendissimi domini mei archiepiscopi , Petrus de Ponte eiusdem domini secretarius.

NOTA.

* *Concilium.*] Acta huius & quarumdam aliarum Synodorum Hispanicarum , quas supra suis locis inseruimus , ex archiuo Conchenensi exscripsit in Hispania Valerius Serenius Belga anno Domini 1565. addiditque , eadem in archiuo Toletano haberi. Qua occasione eadem ad nostras manus deuenerint , supra diuersis in locis indicaui. Synodus haec tenus , ut puto , nullibi excusam , moribusque reformatis aptissimam , nec non Hispanicæ fidei ac religionis notam & indicem , huic editioni omnino inferendam esse putau. Tu vero , lector amice , eadem vtere , fruere.

VITA INNOCENTII PAPÆ VIII.

Innocentius quando papæ electus. INNOCENTIVS , antea Ioannes Baptista cognomento Cybo vocatus , patre Aarone equite aurato , sacri imperialis palatii comite , Neapolitano prorege & Ro-

ANNO
CHRISTI
1472.

ANNO
CHRISTI
1484.

INNOCENTII PAPÆ VIII. VITA. 63

mano senatore natus, post varios honorum gradus a Sexto quarto cardinalis creatus est, eoque defuncto subrogatus est in pontificatu anno Domini 1484. iv. Kalendas Septembbris, Friderico III. imperante. Ad principatum veterem illam morum facilitatem humanitatemque attulit, quam in priuata vita retinuerat. Principes Christianos, saepius iteratis nuntiis, ad concordiam, ac proinde ad expeditionem Turcicam hortatus est. Subdito sibi magistratui serio præcepit, ut iustitiam omnes recte ac mature administrarent. Ad Friderici III. instantiam sanctum Leopoldum ducem Austriacum in sanctorum numerum ac canonem retulit. Fernandum regem Hispaniæ, ob non solutionem debiti census, iure regni spoliasset, nisi metu belli, quod a Florentinis & duce Mediolani Fernandi sociis imminebat, ad concordiam rediisset. Hoc pontifice Zizimus frater regis Turcarum a Rhodiis captus, Romam adductus fuit. Innocentius ad res domesticas pacandas conuersus, vrbanos motus ciuium compescuit, & Columnenses cum Vrsinis, Marganos cum gente Sancta-crucia pacauit. Sicarios & grassatores sustulit, & in eorum fautores, aliosque curiæ officia perperam administrantes grauiter animaduertit. Annonam auxit, Boccalinum Auximorum tyrannum ducis Mediolanensis auxilio perdonuit. Porticus atque hortos ædis Vaticanæ, tribunal ecclesiæ Lateranensis, diaconiam sanctæ Mariæ in Via lata restituit. Eodem anno partem dominicæ crucis reperit: sacram illam cuspidem, qua Christi Domini latus perfossum est, a Turcarum rege dono accepit. Procero corpore & pleno decoris erat, regiamque formam a proauis veluti hereditariam acceperat. Deerat illi quod non satis prospera valetudine vteretur. Nam biennio antequam decederet, in ecstasim ex morbo incidens, horis fere viginti sine arteriarum motu immobilis permanxit. Eadem ægritudine oppressus interiit octauo Kalendas Sextilis, circiter horam quintam noctis, anno Domini 1492. cum sedisset annos septem, menses decem & dies vigintiseptem, & sepultus est in Vaticano.

Crucem &
lancam
Domini ac-
cepit.